

(1.) Extinguetur fraterna caritas, quam ex toto corde alter ad alterum deberet habere fratrem germanum.

(2.) Destructio terrarum ipsorum, que sequitur ex guerrarum strepitu.

(3.) Evacuatio thesaurorum derelictorum a patribus ipsorum, qui repositi sunt pro augmento domini et defensione terrarum eorundem.

(4.) Sicut oblatum est eis imperium cum magno honore, sic ob mutuas lites inter eos exortas cum magno pudore, ut presumitur, poterit ab eis auferri.

(5.) Cum autem se simul depauperabunt, alii principes et eorum hostes, non solum principes, sed et subditi et viles eos deridebunt.

(6.) Quia vel mors ipsorummet fratrum vel etiam subditorum et fidelium ipsorum frequenter ex bellis et cedibus sequitur, ita ut si unus de fratribus domino deo cavente ceciderit, efficietur sanctus Abel²³, alius maledictus Cayn, unus Romulus, alius Remus, unus Jacob, alius Esau, unus sanctus Benczeslaus, alius perversus Boleslaus²⁴.

(7.) Ita inter subditos, qui miseri nesciunt, quorsum tendant. Alii namque erunt servi sancti Abelis, alii servi maledicti Cayn.

(8.) Sicut per concordiam ac fraternale adiutorium ambo fratres etiam ad aliorum regnorum necnon terrarum dominia possent pervenire, sic per discordiam impediti aliis regnis odiosi et in propriis contenti vix tollerabuntur et tamquam maledicti reputabuntur.

(9.) Ad conducendum stipendiarios de Bohemia per dictos fratres non videtur catholicum, ut qui prius in heresi firmati, sanguine christianico [*sic!*] consparsi, calicibus et aliis ecclesiarum bonis ditati, quod^e urbes, castra, (141v) monasteria et ecclesias subverterunt, in alienis terris vix dimittent ea, que in propriis didicerunt. Etiam alios suo inficient exemplo damnato. Unde tortor a Tartaro discit seivere, ut ad sancta manus mittant violentas. Quia scriptum est: *cum sancto sanctus eris et cetera*²⁵, videat clerus Stirie, Karinthe et Carniole hoc malum et cetera.

(10.) Sicut olim Christi milites pro iusta certabant causa atque^f modo milites Antichristi non perquirentes causam litis, si sit equa vel iniqua, solummodo huic assistunt pleri[que], ubi rapere et recipere^g se posse sperant. Ergo Antichristus eorum dominus poterit regnare, qui habebit^h dare.

(11.) Maledictum genus militum quorundam, quod castris et prediis dotatum est, ideo ut pro bono pacis pugnare tenetur, ecclesias, viduas et pupillos protegendo, non tamen hoc, sed crinium crispas²⁶ et muliercularum in altis fenestris aspectus speculando cuculi cantu sua hoc ratione mente pervigili parat

e) *Lesung unsicher*
aus habebat

f) *korr. aus que*

g) *korr. aus recepere*

h) *korr.*

23) Abel gilt als der erste Märtyrer.

24) Boleslav I. der Grausame (geb. 915) und Wenzel von Böhmen (geb. um 908), besser bekannt als der Heilige Wenzel.

25) Ps. 17, 26 bzw. 2. Reg. 22, 26.

26) Wahrscheinlich eine Ableitung von crispus, kraus, gekräuselt bzw. gekrümmt.